

rio Diacono, Petro Venerabili, Scaligero, aliisque plurimis Christiani fideles etiam, licet non sine quodam abusu, pro mortuis baptizari crebro consuevisse velimus; siue eam consuetudinem ab Hæreticis Resurrectioni infensis tantummodo exercitam arbitremur, quos Apostolus argumento ad hominem sic oppugnet: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si mortui non resurgunt?* Quomodo modo hoc viventium baptisma mortuis conducat, si de resurrectione omnino desperent? Si per huiusmodi baptismum gratiam vivens susciperet, eandem in mortuum referre valeat? Qua itaque mente hæc induci potuit baptismi consuetudo, nisi ut resurrectionis spes referatur, & à Domino id impetretur, ut quemadmodum viventia corpora per baptismum renascantur, & quodammodo reviviscunt, ita qui decesserunt, aliquando resurgant?

3. Id verò, cui hæc interpretatio innitur, superius satis superque probavimus; Hæreticorum enim plerisque, qui Pauli ætate in vivis agebant, fuisse resurrectioni infensos, & eorumdem quosdam pro mortuis baptizari consuetos ostendimus. Quam baptismi consuetudinem & apud Fideles obtinuisse, minime probari posse ultro admitto; veteres tamen, & recentiores, quos attulimus, Authores id evenisse nullatenus improbant: quod sanè magis de illis persuadentur, quam de Africæ fidelibus, quos quarto adhuc sæculo ipsos mortuos baptismo ablueri consuevisse legimus.

4. Absurda verò, quibus hæc interpretatio notatur, quæque Commentatores ab eadem avertunt, difficultatem superficie tenus præferunt, & si seridè pendantur, vim omnem amittunt. Apostolus, ajunt, baptismi pro mortuis consuetudinem probare videretur, non enim credendus foret inde futuræ resurrectionis argumentum deduxisse, ubi pravitatem, & superstitionem agnovisset. Ita enim vel Fidelibus, si verè apud eorum quosdam mos ille invaluerat, ad eundem retinendum animum adjecisset, vel Hæreticorum consuetudini favisset, qui resurrectioni inficientes, eodem baptismo expiabantur. Præterea neque Hæreticos resurrectioni infensos, neque Christiani fideles eandem profitentes, neque baptismum pro mortuis suscipientes, neque eidem non adherentes, Pauli ratiocinatio convinceret.

Cerinthiani & Marcionitæ, qui baptismo pro mortuis eluebantur, Apostolo sic ratiocinant: *Quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omnino mortui non resurgunt, utquid baptizantur pro illis?* respondissent: Baptisma, quo abluimur, idcirco mortuis conducit, quòd eisdem peccatorum solutionem consequatur, veram nempe resurrectionem, sicuti & à Christo appellatur, cujus in suis Episto-

lis sapiens ipsemet meministi, cum Baptismi dignitatem extolleret, atque eundem cum Servatoris resurrectione conferret. Anne Deus, cujus cordi omnium hominum est incolumitas, antequam baptismo abluerentur, repente morte interceptos iis destitueret, quæ eorum saluti maximè conducere? Quid porò eorum saluti opportunius, quàm quòd insitui voluerit, ut eorum beneficio regenerationis Sacramentum susciperetur?

Neque majori vi Christiani fideles, quibus fortè resurrectio in dubium, incertumque venisset, Apostoli argumentum urgeret. Quapropter respondissent: Quidquid seu Hæretici, seu quis ex Fidelibus simplicioribus egerint, ad nos nihil pertinet. Ex te ipso unam esse Ecclesiam, unumque baptismum didicimus: alià igitur, ut nos convincas, tibi viâ incedendum. Etenim quæ sunt fidei Catholica, per absurdos & negatorios mores minime comprobantur, aliàs nil prohiberet, quin aliquibus Ecclesiæ dogmatibus fidem præstitisse Ethnicis dicerentur, si ex plurimis superstitionis, quibus inhaerent, ritibus eorum, fides colligi valeret. Ex Hæreticorum denique pro mortuis baptismo neque probè omnino, neque propriè resurrectio concluditur, quamvis eorum de anima immortalitate opinio ritè possit induci. Immortalitatem verò animæ à corporis resurrectione longè aliam esse quis ignoret?

Quibus omnibus reponimus, S. Paulum neque Hæreticorum, neque eorum Fidelium, qui simplicitate nimia pro mortuis baptizarentur, morem suo argumento comprobasse, sed adversus eosdem ad hominem, ut diximus, ratiocinatum esse. Probos Christiani fideles, & lumine Fidei optimè instructos minime hæc Paulus alloquitur; illi enim neque resurrectioni adversabantur, neque in eorum, qui pro mortuis baptizabantur, consuetudinem ieverunt. Sed adversus Hæreticos, & rudes, atque supersticiosos Fideles validissimè probat, ab ipsâ eorum consuetudine argumentum optimè deduci, quòd sibi de resurrectione persuadeant. Utique enim inanem prorsus de mortuis curam assumerent, si ad vitam nunquam revocarentur, vel hinc ablati alibi non viverent. Quòd si, quòd anima immortalitate donetur, alibi vivunt, facile satis hominum resurrectio concluditur. Alienum quippe ab iustitiâ foret, nisi corpus, quod veluti pars operam suam vel bonè, vel malè gestis contulit, aut penâ afficeretur, aut præmio. Deus verò, si animæ tantummodo vel penam infligeret, vel præmium persolveret, solius partis aut innocentiam, aut pravitatem remitteretur. Hæreticos itaque suo illo pro mortuis baptismo indirectè saltem ad resurrectionis fidem tenendam Apostolus adjigit.

# ARGUMENTUM

## II. EPISTOLÆ S. PAULI APOSTOLI AD CORINTHIOS.

22. Cor. 12.  
18.

**I**ncertus Apostolus, quem Corinthiis sensum sua illâ Epistolâ induxisset, Titum, cui & Discipulum comitem nobis adhuc ignotum adjecit (a), ad eos misit, ut per illos totius rei eventum addisceret. Eius verò Epistola Corinthios adeò concusserat, & ad Apostoli amorem unâ & reverentiam ita excitaverat, ut, ubi Titus Corinthum pervenit, officiosi & pavidi eundem exceperint. Interea Ephefius quidam, quem Demetrium vocant, Aurificum seditionem concitaverat; quare Paulus Ephefo egredi coactus, per Hellepontum oram Troadem venit, si fortè Titum Corintho regredientem offenderet: quem cum obvium minime habuisset, tamen de suæ Epistolæ eventu sollicitus, ne aliquo fructu Evangelium prohiberet, ab incepto itinere non abstinuit, & in Macedoniam (b), quæ plurima ei perferenda objecit, trajecto mari pervenit.

b. 2. Cor. 7. 5.

c. 2. Cor. 8. 6.  
9. 12.

d. 2. Cor. 12. 21.

e. 2. Cor. 11. 21. 22.

f. 2. Cor. 3. 18. 22.

His literis primò eâ, qua sponderat, celeritate se Corinthum non contulisse fatetur, ne in eorum quosdam, agrè quidem, sed gravissimè animadvertere cogere (g). Eos laudat, quòd optimè cum fornicario se gesserint, cui illorum gratiâ veniam indulget (h). Adversus Pseudopostolos eâ sapientiâ, eâque modestiâ sui Apologiam instruit, ut locios suos potius, suumque ministerium, quàm se ipsum efferre videatur. Corinthios ut eleemosynas (i), in Jerusalemitanos pauperes erogandas, conferant, nihil ad illos suadendos omittens, hortatur (k). Ad sui apologiam demùm regressus, Pseudodocorum nequitiam detegit, & impulsu arque proflus Apostolicâ libertate eos, qui iisdem fidem adhibebant, nimia credulitate arcessit. Ut ea dilueret, qua in ipsum coniecerant, de se præclare loqui coactus, id ita præstat, ut vim, quam humilitati suæ inferebat, satis exhibeat.

g. 2. Cor. 1. 15.  
23.  
h. 2. Cor. 2. 13.

i. 1. Cor. 7. 2. 6.  
k. 2. Cor. 8. 6. 9.

l. 2. Cor. 7. 5.  
6. 8. 1. 3.  
8. 11.

m. Vide Variet. Lectio. D. Mille.

Verùm Deo humiles, & doloribus obrutos animos solari consueto, maximam Paulus de Titi adventu lætitiâ percipit; à quo Christiani fideles à fornicario jam distinctos, amotis etiam, vel saltem seditionum ceteris cohibitis, ab ipso Apostolo veniam poscere, eleemosynas Jerusalem erogandas rursum congerere (e), res denique Corinthi Ecclesiæ optimè cedere, quàm maximo animo solatio accepit. Dolorem tamen satis etiam idcirco exhaustum, quòd eorum quidam ab impudicitis omnino non desistissent (d): quòd præterea Pseudo-Apostoli ab Judæis egressi ea, quæ ipse edificaverat, everentes, Moysi Legi obtemperandum docerent, ipsumque Paulum Legis everforem, hominem neque à Christo, neque à primis Apostolis missum, & Apostolatûs munere non decoratum, appellarent (f).

Quibus malis ut Paulus confestim occurreret, hanc secundam Epistolam dedit, quam Tito, duobus fratribus, quos & laudibus quàm maximè attollit (f), & eidem sociis adjectis, deferendam commendavit.

Quibus malis ut Paulus confestim occurreret, hanc secundam Epistolam dedit, quam Tito, duobus fratribus, quos & laudibus quàm maximè attollit (f), & eidem sociis adjectis, deferendam commendavit.